



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

9. Lateres Symbolici, Humilitas. Firmitas. Veritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ARTICULUS IX.

LATERES SYMBOLICI

*Humilitas, Firmitas, Varietas.**Ad Parietem Spei erigendum adhibendi.*

S BERNARDUS in libello moralium sententiarum tria Laterum genera ad Spei Murum perficiendum congerit: *Spem, inquam, nostrā triplex ratio discutit & roborat. Humilitas collata Sapientia: Firmitas constantis patientia. Veritas inspirationis occulta.* Ex quibus & similibus, quo modo Spes concipiatur, & roboretur, seu Spei Murum constituatur, multis eleganter deducit, At verò, s. Gregorius exponens officium seduli in Ecclesia operarii, de quo dici potest, quod est Jobi VII. *Sicut dies Mercenarius dies ejus.* Ita disserit de hoc ipso argumento lib. VIII. Moralium. *Electus quisque vitam suam, quasi dies Mercenarius pensans, tanto fidentius Spe tendit, quanto nunc robustius perstravit ad laboris incrementum. Qui si de cursu presentis temporis pensat, dies cum operibus numerat: ne à labore vacua transcurrant vite momenta formidat. Adversis gaudet, passione reficitur, in rorerefovetur: quia subsequenti vite premiis, tanto se remunerari largius conspicit, quanto pro amore illius quotidianis mortificationibus verius impendit.* Hinc namque est, quod cives supernae patriæ Conditori ejus Psalmistæ vocibus dicunt: (a) *Propitius, Te mortificamur tota die.* Hinc S. Paulus: (b) *Quotidie mortificamur propter vestram gloriam Fratres.* Hinc iterum dicit: (c) *Ob quam causam hæc patior: sed non confundor: Scio enim quod non defraudabitur illud, quod credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare illud.*

(a) Psal. 43 (b) 1. Corint. 15. (c) 2. ad Timoth. 1.

illum diem. Sancti igitur Viri, quot labores nunc Veritati commendantes exhibent, tot jam remunerationis pignora inter SPEI CUBICULUM clausa tenent.

ARTICVLVS X.

SPES MVRVS ÆREVS.

Æs bona Conscientia. Æs solidum, durum, incorruptibile.

AD SPEI Parietem erigendum non *Lapides* solum & *Lateres*, verum etiam *Æs* adhibetur: est enim is parte aliquâ *Æreus*. Qualem Murum nominat Sacer scriptor Jeremiæ I, *Ego dedi te hodie in civitatem munitam, & Columnam ferream, & in Murum æreum.* Quod-nam illud *Æs*? *Bona Conscientia*, quæ vel ipsa sola Murus æreus dici potest.

Nil conscire sibi. nulla pallefcere culpa.

Hic Murus aheneus esto.

Siquid autem est, quod Parietem Spei firmat, est **BONA CONSCIENTIA**. *Si cor nostrum*, inquit B. Joannes, *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM.* Bona Conscientia cum fiduciâ Murum componit. Unde S. Augustinus præfat. in Psalmum xxxi. *Quomodo mala Conscientia tota in desperatione est, sic BONA Conscientia tota in Spe.* Erunt tria hæc, de quibus dixit Apostolus, *Fides, Spes, Caritas.* Alibi tria etiam nominat, sed pro Spe Conscientiam Bonam ponit: ille enim sperat, qui Bonam Conscientiam gerit. *Finis enim præcepti est Caritas de corde puro & Conscientia bona.* Quem autem pungit mala conscientia retrahit se à Spe, & non sibi sperat, nisi damnationem. Ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam; & ut habeat bonam conscientiam, credat, & operetur: quia quod credit fidei est, quod operatur, caritatis est. Et
quo-